

ordinis, aut conditionis existerent, etiam quovis privilegio suffulti in Platea prædicta, & prope illam in viis publicis ab ea per quinque cannas distantibus hujusmodi etiã prætextu, quod essent domini liberi, & absoluti, vel habitatores Domorum circum circa in dicta Platea existentium in Domorum prædictarum parietibus, & ante eas aliquod genus banchorum, seu Tabularum, vel Tabularum ad effectum quissiam vendendi, aut venale prostituendi de cætero erigere, nec erigi, seu erectum tenere, vel teneri facere per se, vel alium, seu alios absque expressa, & in scriptis obtenta Archipresbyteri, ac Capituli prædictorum licentia etiam perpetuo statuit, & alias prout in ipsius Sixti Prædecessoris Literis Anno Incarnationis Dominicæ 1586., Idibus Novembris desuper sub plumbo expeditis uberius continetur. Sed subinde quia in prædictis Literis mentis, & intentionis dicti Sixti Prædecessoris non fuerat, neque erat Ecclesiæ præfata, ejusque Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo, ad quorum favorem Literæ ipsæ emanaverant, quidquam de novo, & præsertim in præjudicium cujusvis tertii concedere, sed solum confirmare vetera eorum, si quæ, & quæcumque eidem juxta Sacrorum Canonum statuta, & Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum, aut aliarum personarum quarumcumque ad id auctoritatem habentium concessiones, & indultæ, aut ex juris communis dispositione, seu quocumque alio legitimo titulo, jura competere, & non aliter, neque alio modo, & si forte Literæ supradictæ aliter continere viderentur, id præter, & contra mentem, & intentionem ejus acciderat; Idem Sixtus Prædecessor per alias suas in simili forma Brevis Literas, die 27. Maii 1587. emanatas declaravit, attestatus est, voluit, & decrevit primodictas Literas, & contenta in illis in quantum ultra veteres concessiones, & indultæ, aut titulos, seu alia jura hujusmodi quidquam de novo concessisse videretur, pro non editis haberi, concessionesque, & indultæ hujusmodi, & omnia in illis contenta revocavit, annullavit, & pro non factis haberi mandavit, eisdem Literis cum omnibus in illis contentis solum, & dumtaxat quoad confirmationem veterum concessionum, & indultorum, ac jurium ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo juxta Sacrorum Canonum statuta, & supradictorum Prædecessorum, ut supra, aut alias concessiones, & Literas competentium in suo robore, & firmitate manentibus. Postmodum vero accepto per recol. memor. Urbanum Papam VIII. Prædecessorem pariter nostrum, quod licet Archipresbyter, ac Capitulum, & Canonici prædicti ab immemorabili tempore, ac plurium sententiarum, & rerum judicatarum, & tam præ mem. Innocentii VIII. Sixti IV., & Julii II. Romanorum Pontificum Prædecessorum etiam nostrorum, quam præfatarum Sixti V. Prædecessoris Literarum, necnon variarum inhibitionum, & mandatorum diversis tem-

poribus desuper emanatorum vigore fuissent, & tunc essent universæ Plateæ prædictæ Domini, & Patroni, et ab inde citra se, dictamque eorum Ecclesiam manentibus in quasi possessione in universâ Platea hujusmodi, etiam private quoad omnes alios, etiam Domorum eidem Plateæ adjacentium Dominos, erigendi, tenendi, & habendi Banchos, & Tabulata ad effectum inibi fructus, herbas, pisces, & alia comestibilia vendendi, dictosque Banchos, & Tabulata personis sibi benevolis locandi, pensiones ex hujusmodi locationibus provenientes percipiendi, exigendi, & levandi, ac in suos usus, & utilitatem convertendi, & personis prædictis similes Banchos, & Tabulata in Platea hujusmodi erigendi, tenendi, & habendi licentiam concedendi, cæteraque omnia, & singula alia ad liberum ipsius Plateæ Dominium spectantia, & pertinentia faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, nihilominus de Anno 1602. Archipresbyter, & Canonici aliqui (ut credebatur) extra Capitulum, & singulariter contrahentes per eorum assertam scripturam privatam, quæ per Sedem Apostolicam non probatur confirmata, renunciavissent, & ab eorum Ecclesiâ abdicare tentassent hujusmodi Banchos, & Tabulata, ac Macella apponendi, & alia jura in, et supra dicta Platea Archipresbytero, et Canonicis, ac Capitulo prædictis, ut præfertur, competentia, ad favorem Magistrorum Viarum Urbis, et de Anno 1618., seu alio veriori tempore Adamus Melfius Aromatharius cujusdam Domus eidem Plateæ adjacentis, et ad Crescentium de Crescentiis Romanum, ut assererebatur spectantis inquilinus habitator, præterens ante apothecam dictæ Domus in quodam situ angulari medio inter eandem Apothecam, & viam publicam super eadem Platea transeuntem, qua a Domino Regularis Sanctæ Mariæ Magdalene Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis ad Domum etiam regularem B. Mariæ super Minervam nuncupat. de eadem Urbe Fr. Ord. Præd. itur, sub prætextu, quod situs hujusmodi in eadem Platea non comprehenderetur, sed locus privatus, & de pertinentiis, dictæ Domus extiteret, banchos hujusmodi erigere, habere, et tenere posse etiã forsitan de licentia Magistrorum Viarum Urbis seu Viarum Præfidentis duos Banchos similes in eodem situ erexisset, illosque pro piscibus vendendi locasset, habito autem per Archipresbyterum, et Capitulum, et Canonicos prædictos ad tunc existentem ipsius Urbani Prædecessoris in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem recursum, Banchi prædicti amoti, iique postea prætextu cujusdam sententiæ a tunc existente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii Auditore emanatæ denuo appositi fuissent, introducta vero per viam appellationis causa hujusmodi in Camera Apostolica coram certis ejusdem Camere Clericis, ibique sub die 26. Junii 1624. prædicto Adamo citato, et iterum sub die 26. Junii 1626. discussio an de bono jure ipsius Ecclesiæ constaret

staret, citatis, et auditis tam prædicto Adamo, quam etiam dicto Crescentio de bono dictæ Ecclesiæ jure constare resolutum fuisset, dictique Archipresbyter, ac Capitulum, et Canonici vigore resolutionis hujusmodi sub die 1. Julii 1626. mandatum de manutenendo in possessione, seu quasi tenendi Banchos in prædicto situ, et Platea hujusmodi contra eosdem Crescentium, et Adamum obtinuerunt, et in illius executionem dicti Banchi in angulo prædicto, ut præfertur, appositi, amoti, et sublati fuissent. Verum dicti Crescentius, et Adamus mandatum de manutenendo, illiusque executionem hujusmodi eludere volentes, ut in quendam parvam apothecam ad eundem Crescentium (ut assererebatur) pariter spectantem, et situi prædicto contiguam dicti Adami, seu Crescentii, vel aliorum vicinorum conductores se recipebant, ibique pisces venderent, procuraverant, quo factum fuerat, ut Archipresbyter, ac Capitulum, et Canonici prædicti postquam spatio octo annorum litem hujusmodi sustinerant, aliam tantumdem, et forsitan amplius duraturam, non sine gravi ejusdem Ecclesiæ dispendio, magnisque laboribus exortam litem prosequi debere, seque de cætero litibus hujusmodi prosequendis ob assidua expensarum onera jugiter subeunda gravatos fore prospicerent, idem Urbanus Prædecessor primodictas Sixti V. Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis itidem perpetuo approbavit, & confirmavit, ac prævisis causis, seu causarum hujusmodi inter præfatos, aliosque colligantes motarum penditum, & infructuarum avocatione, ac suppressione, & extinctione, perpetuum prædictis Crescentio, & Adamo desuper silentium imposuit, insuper pro majori Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum prædictorum cautela, juraque juribus addendo Plateam prædictam tunc, & pro tempore existentem eidem Ecclesiæ, Capitulo, & Canonicis concessit, & perpetuo donavit, relicto domorum, seu Apothecarum eidem Plateæ adjacentium dominis, vel inquilinis trium dumtaxat palmorum extra domos, vel apothecas hujusmodi spatio, quoad usum tantum pro mercibus, seu aliis rebus ipsorum Dominorum, seu Inquilinorum tantum, quæ tamen in ipsis Domibus, vel Apothecis venderentur, & non alias, neque ad alium usum, nisi de licentia expressa ipsorum Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum in scriptis titulo locationis obtinenda. Ulterius Domorum, & Apothecarum hujusmodi Dominis, necnon Magistris Viarum, & aliis Officialibus quocumque nomine nuncupati, ac ejusdem S.R.E. Camerario, cæterisque quibuscumque, ad quos tunc quomodolibet spectabat, & perpetuo in futurum spectaret, ne Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum hujusmodi super universæ Plateæ dominio, & facultatibus prædictis impedire, molestare, vel perturbare, aut in Domibus, Apothecis, aliisque

sitibus eidem Plateæ adjacentibus circum circa infra centum Cannarum spatium, quoad pisces, tellinas, gambaros, vel squillas dumtaxat, nec etiam in eadem Platea, & Apothecis vicinis super dicta Platea respondentibus carnes cujuscumque generis vivas, vel mortuas, etiam hædos, & agnos, & alias, nec fructus cujuscumque generis, olera, & flores vendere, aut macellum, vel lanienam habere, absque expressa Archipresbyteri, ac Canonicorum, & Capituli prædictorum licentia auderent, seu præsumerent sub indignationis suæ, & Successorum suorum, & alii arbitrii sui, & Successorum prædictorum poenis, & in dictis Sixti V. Prædecessoris literis inflictis, & comminatis interdixit, & prohibuit, volens quoque prædictos Archipresbyterum, & Canonicos, & Capitulum ad refectionem silicetæ tam Plateæ usque ad parietes Domorum, & Apothecarum adjacentium, quam viarum in prædicta Platea respondentium pro latitudine, & longitudine tantum teneri, & perpetuo obligatos existere, ac ad illam faciendam cogi posse, & alias prout in ipsius Urb. Prædecessoris literis, die 9. Februarii 1628. in simili forma Brevis expeditis plenius continetur.

§.2. Cum autem nuper mature considerato, quod Ecclesiæ prædictæ, quæ prius temporibus nobile delubrum erat nomine *Pantheon*, tot clarorum Scriptorum præconiis ab elegantis Symmetria, magnificaque structura celebratum, quod veteris Idolatriæ sordibus expurgatum felici mutatione Sanctus Bonifacius IV. Prædecessor noster vero Deo in honorem Beatissimæ Virginis Deiparæ Mariæ, & Sanctorum, Martirum consecravit, ex tot insignibus antiquæ magnificentia monumentis, quæ tot Imperatores, tot Consules ad hujus Almæ Urbis ornatum, & nominis Romani gloriam quasi cum æternitate certatura exererant, fere sola perennasset, & præfati sui decoris plurimum retinisset, ac maximum hodieque eidem Urbi adferret ornamentum; sed subjacentis fori situ, squaloreve vilescere videretur, & illius aspectus etiam contiguum nobili ejus porticiu ædificiorum, non jure forsitan extruitorum, obestitu interciperetur, & deformaretur, aditusque in Plateam prædictam nimium coarctaretur; Nos earundem Ecclesiæ, & Urbis decori consulendi studio, omnes ædes, & ædificia quæcumque dictæ porticiu adjacentes, & adjacentia, ac ad dictos Capitulum, & Canonicos spectantes, & spectantia penitus, & funditus dirui, atque demoliri, illorumque rudera, & cæmenta inde asportari, necnon domunculas ligneas, tabernas, scamna, & tabulata quæcumque in dicta Platea existentia inde amoveri, & penitus tolli, certum vero loci spatium in formam hemiicidi aliquantum oblongi, ac labra, & ornamenta fontis, qui in mediantullo ejusdem Plateæ situs est, ab ea parte, quæ versus Eccl. S.M. Magdal. protenditur, ambientis pro collocandis illic domunculis, seu tabernis mercatoriis, designari, ibique domun-

domunculas, seu tabernas hujusmodi locari, illam autem dictæ Plateæ partem, quæ Ecclesiam, & Fontem prædictos interfaceret, necnon vias publicas in ipsa Platea circumquaque existentes ejusmodi impedimentis liberare, & vacuas remanere iussimus, hæcque omnia re ipsa ab illis, quibus hanc curam dederamus, executioni demandata fuerint, facta etiam per dilectos filios Magistrorum viarum dictæ Urbis exacta locorum Plateæ prædictæ, tam eorum, quæ libera, & vacua remanere, quam illorum, in quibus domuncula, seu tabernæ mercatorie hujusmodi collocari deberent, delineatione, seu planta, quæ in actis eorumdem Magistrorum viarum die 26. currentis mensis Aprilis exhibita reperitur. Hinc est, quod Nos, ut præmissa omnia, & singula (quæ speciali jussu, & mandato nostro facta fuisse harum serie declaramus) ad Ecclesiæ, & Urbis præfatarum ornatum perpetuis, futuris temporibus inviolabiliter serventur providere, ac memoratorum Capituli, & Canonicorum indemnitati consulere cupientes, necnon prædictorum Sixti, & Urbani Prædecessorum, aliarumque quarumlibet Literarum Apostolicarum tenores, & datas etiam veriores, & alia quæcumque etiam specialem, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine areas ædium, & ædificiorum jussu nostro dirutorum, & demolitorum, ut præfertur, ac universam Plateam prædictam, excepto dumtaxat supradicto loci spatio pro collocandis domunculis, seu tabernis mercatoris, sicut in præfata delineatione, seu planta videre est designato, a dominio, proprietate, servitute, aliisque juribus quibuscumque tam memoratis Ecclesiæ, ejusque Archiepiscopo, ac Capitulo, & Canonicis ex immemorabili præscriptione, usu, seu consuetudine, ac prædictorum Sixti IV., Innocentii VIII., Julii II., ac Sixti V., & Urbani VIII., aliorumque quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum concessionibus, declarationibus, decretis, aliisque dispositionibus quibuslibet, & alias quovis modo, titulo, & causa quam cuicumque alteri super Platea hujusmodi quomodolibet competentibus, & quæ illis quoquo modo competere prætendi possent, ita nec dictis Archiepiscopo, ac Capitulo, & Canonicis, nec aliis personis quibuslibet quæcumque dignitate, auctoritate, honore, prærogativa, præeminentia, privilegio, & indulto suffultis, & prædictis ullatenus unquam liceat domunculas, tabernas, scamna, tabulata, mensas, banchos, vel alia impedimenta quæcumque in alio quolibet dictæ Plateæ per demolitionem ædium, & ædificiorum prædictorum jussu nostro factam, ut præfertur ampliata, loco, quam in spatio pro collocandis domunculis, seu tabernis mercatoris prædictis designato, &

in Platea, seu delineatione supradicta descripto, sub quovis prætextu, causa, colore, vel genio collocare, seu collocari facere, aut collocandi licentiam, vel facultatem tribuere, seu ibidem carnes, pisces, panem, olera, fruges, fructus, aliave cujusvis generis esculenta, ac flores, & alia mercimonia quæcumque venum exponere, aut venalia habere, seu alio quocumque modo ejusdem Plateæ venustati efficere, sed ipsa Platea, excepto dumtaxat jam dicto loci spatio, semper libera, & vacua remanere debeat; salvo tamen illo jure, quod in prædictis Urbani Prædecessoris literis domorum in Platea hujusmodi sitarum Dominis, vel Inquilinis, expresse reservatum reperitur, tenore præsentium penitus, & omnino perpetuo eximimus, & plenarie liberamus. Ac prædictis Capitulo, & Canonicis, ut ipsi perpetuis futuris temporibus spatio loci pro domunculis, seu tabernis mercatoris jussu nostro, ut præfertur, designato, uti, ibique domunculas, seu tabernas hujusmodi collocatas habere, ac illas personis sibi benevisis locare, pensionesque, & emolumenta quæcumque inde proventura percipere, exigere, levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, necnon privilegiis, favoribus, gratiis, & indultis quibuscumque ipsis, & dictæ Ecclesiæ per memoratos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & præsertim Sixtum V., & Urbanum VIII., ut præfertur, respective concessis, & approbatis (quæ omnia, & singula quatenus præsentibus literis non adversantur, & non alias, confirmamus, & approbamus; quatenus vero ipsis præsentibus literis sunt contraria, revocamus, abrogamus, cassamus, viribusque, & effectu vacuumus) sicut hætenus usi, potiri, & gavisii fuerunt, ita & in posterum uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

§.3. Ut autem minus quam fieri possit ex hujusmodi domorum demolitione Capitulum, & Canonici detrimentum patiantur eisdem nunc viventibus tantum, fructus Canonicatus in præsentia in dicta Ecclesia per obitum Pompilii Zuccarini vacantis (cujus interea provisionem, & collationem ad hunc effectum suspendimus) applicamus, & assignamus inter ipsos pro rata distribuendos, cum oneribus, & obligationibus non solum communiter cum aliis, verum etiam particulariter dicto Canonici, ac præbendæ annexis, quibus omnibus satisfacere omnino teneantur, prout prædictus Pompilius tenebatur; Et cum decreto, quod hæc fructuum applicatio, & assignatio locum habeat ad favorem Canonicorum dumtaxat nunc viventium (ut dictum est), & alios Canonicatus possidentium, ita ut eorum aliquo decedente, vel cedente portio illius non transeat in Successorem, neque cæteris Canonicis accrescat, sed eo ipso, quod singuli eorum decederint, vel cesserint, portio sic decedentis, vel cedentis nostræ, & Successorum nostrorum

rum dispositioni specialiter reservata sit, ut expresse reservamus in utilitatem ejusdem Ecclesiæ quamdiu hujusmodi applicatione, & assignatione durante, dictus Canonicatus vacaverit convertendam.

§.5. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti Capitulum, & Canonici, & alii quilibet cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentie, & dignitatis, seu alias speciales, & individua mentione digni existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu cause, propter quas præsentibus emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis, magno formali, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, invalidari, rescindi, in controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentibus literas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus exemptionum, liberationum, concessionum, indultorum, et assignationum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Romanos Pontifices Successores nostros, sedemque prædictam quodcumque facien. unquam comprehendere, aut comprehensos censeri; sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per eos, ad quos, pro tempore spectabit eligenda concessas censeri, et intelligi, semperque firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus fortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiã causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, & alios quoscumque Sedis, & Cameræ prædictarum

Decretum irritans.

Officiales, & Ministros; cæterosve quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac de jure quesito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quatenus opus sit similis recolend. Symachi, quæ incipit: *Neliceat*: & Pauli II., aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, ac Cameræ, & Sedis prædictarum non alienandis, ac similis mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratis quacumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentibus literas, ibidem præsentari, & registrarum nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis etiam universalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, etiam Cameralibus, & consistorialibus, ac Urbis, Cameræ, & Ecclesiæ prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, styliis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiæ, ac Cameræ, & Urbis, ipsiusque Ecclesiæ Archiepiscopo, ac Capitulo, & Canonicis, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus plene, & sufficienter, nihil penitus omisso insertis, expressis, servatis, & specificatis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Contrarium derogat.

Dat die 27.
Apr. 1663.
An. IX.

R r

Com-

CDXXXVIII.

Ex Regiff. in
Secret. Breu.

Commissio super dimissione Prov. Sancto-
rum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordi-
nis S. Francisci Congregationis Gallicane
in duas Provincias . &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam .

Expositio .

§.1. **E**Xponi Nobis nuper fecerunt dile-
cti filii Minister Provincialis, &
Definitores Provincie Sanctorum Ludovi-
ci, & Elzearii Congregationis Gallicane
Tertii Ordinis S. Francisci, quod in nego-
tio Fratrum Aquitanorum Ordinis, & Con-
gregationis huiusmodi coram Venerabili-
bus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus
negotii, & consultationibus Episcoporum,
& Regularium prepositis pro erectione
Custodia in partibus Aquitanie, seu divi-
sione dicte Provincie in duas pluries agi-
tato, eorumdem Cardinalium Congrega-
tio per sua decreta, quae a Nobis per no-
stras in simili forma Brevis Literas, praeser-
tim die 11. Februarii 1659. & die 9. Janua-
rii 1660. respective emanatas confirmata
fuerunt, declaravit non esse locum ere-
ctioni Custodiae, seu separationi dicte Pro-
vinciae, proindeque Minister Provincia-
lem exercere debere suam Jurisdictionem
in tota Provincia, etiam in Conventibus
Aquitanis. Verum cum quidam Fratres
Aquitani minime subjacere velint jurisdic-
tioni sui Minister Provincialis, & omnes
Aquitani praedictam divisionem Provinciae
unius in duas postulent, tum ob maximam
locorum distantiam, cujus ratione non po-
test facile a Prelatis subveniri incommodis,
& difficultatibus hinc inde emergentibus,
ob quae disciplina regularis non levia pati-
tur detrimenta, tum ratione gravium labo-
rum in itinere sufferendorum, quando Re-
ligiosi ex una in alteram partem transfe-
rendi sunt, vel ad comitia Provincialia pro-
ficisci debent, tum etiam ob ingentia dissi-
dia, animosque discordes, & incompatien-
tes; ideo praefati Exponentes plurimum cu-
piunt Nos charitative annuentes precibus,
& petitionibus dictorum Fratrum Aquita-
norum saepius factis, ac etiam in Comitibus
Provincialibus Praesidi, & Definitorio por-
rectis pro separatione praefatae Provinciae
in duas, unam scilicet S. Ludovici pro
Lugdunenensibus, & alii, & aliam S. Elzearii
pro dictis Fratribus Aquitanis, consen-
sum praebere ad effectum dicte separatio-
nis, servatis tamen, quae sequuntur, vide-
licet: Primo ut separatio Provinciae fiat jux-
ta praescriptum, & concordatum initum
inter Fratres Lugdunenenses ex una parte, &
Fratres Aquitanos ex alia in Capitulo Pro-
vinciali celebrato in Conventu Molinen-
gilbertano Sanctissimae Trinitatis, die 23.
Maj 1646., & non alias. Secundo, ut di-
cti Fratres Aquitani dolentes de commis-
sis in suos Superiores, per scriptum publi-
cum detestentur libellum famosum sub co-

rum nomine impressum, & dispersum, tan-
quam injuriis, & calumniis refertum, ac
veritati contrarium. Tertio, ut sententia
a dilecto filio Episcopi Agennen. Officiali
Boussel cognominato in Superiores lata, &
alia quaecumque ab eodem Officiali gesta
vigore cujusdam Commissionis per dile-
ctum etiam filium Leonem de Peguillan.
fratrem dicti Ordinis a Signatura nostra
Justitiae sub die 12. Augusti 1659. exortae
annullentur, & irritentur, & tanquam nul-
la, & irrita declarentur: cum talis Com-
missio per Literas nostras revocata fuerit
prius quam talis sententia emanaret, quae
revocatio tanquam valida, & legitima ob-
tentata per Decretum praefatae Congregatio-
nis Cardinalium a Nobis per nostras in
forma Brevis Literas confirmatum re-
cognita est. Quare iidem Exponentes No-
bis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in
praemissis opportune providere, & ut in-
fra indulgere de benignitate Apostolica di-
gnaremur.

Confirmat ut
in rubr.

§.2. Nos igitur ipsos Exponentes spe-
cialibus favoribus, & gratis prosequi vo-
lentes, & eorum singulares personas a qui-
busvis excommunicationis, suspensionis,
& interdicti, aliisque Ecclesiasticis senti-
tiis, censuris, & poenis a jure, vel ab ho-
mine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodatae existunt, ad
effectum praesentium dumtaxat consequen-
dum harum serie absolventes, & absolutas
fore censentes, huiusmodi supplicationi-
bus inclinati, de memoratorum Cardina-
lium, qui rem, auditis partibus mature exa-
minarunt, consilio, attentis narratis, au-
thoritate Apostolica tenore praesentium,
committimus dilecto filio Commissario,
seu Praesidenti proximi Capituli dicte Pro-
vinciae Sanctorum Ludovici, & Elzearii
Tertii Ordinis S. Francisci Congregatio-
nis Galliae a dilecto filio Ministro Generali
deputando (qui tamen debeat esse ex ea-
dem Congregatione, sed alterius Provin-
ciae) ut in dicto Capitulo procedat ad di-
visionem dicte Provinciae Sanctorum Lu-
dovici, & Elzearii in duas juxta petita, con-
sulto, quod in partibus Aquitaniae sint sal-
tem sex Conventus, qui componere de-
bent Provinciam de novo erigendam sub
titulo S. Elzearii, & constituat consilia
utriusque Provinciae, & in eodem Capitu-
lo mandet pro hac vice servatis servandis
deveniri ad electionem Provincialis, &
aliorum Officialium, & Superiorum dicte
Provinciae de novo erigendae, atque alia
faciat, provideat, ac disponat ad prescri-
ptum Ordinis Constitutionum & Decreto-
rum Apostolicorum.

Clausula .

§.3. Decernentes easdem praesentes li-
teras semper firmas, validas, & efficaces
existere, & fore, suosque plenarios, & in-
tegrus effectus sortiri, & obtinere, ac il-
lis, ad quos spectat, & pro tempore spe-
ctabit, plenissime suffragari; Sicque in pra-
missis per quoscumque Judices ordinarios,
& delegatos etiam causarum Palatii Apo-
stolici Auditores judicari, & definiti de-
bere,

Derogatio
contrarium

bere, & irritum, & inane si secus super
his a quoquam quavis auctoritate scienter,
vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus, & minime at-
tentis Decretis, & clausulis positis per bo-
mem. Episcopum, seu Vicarium Agennen.
& quibuscumque aliis in contrarium facien-
tibus etiam speciali mentione dignis, ac
Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-
stolicis, necnon praefatorum Ordinis, &
Provinciae, etiam juramento, confirma-
tione Apostolica, vel quavis firmitate alia
roboratis statutis, & consuetudinibus, pri-
vilegiis quoque, Indultis, & Literis Apo-
stolicis in contrarium praemissorum quo-
modolibet concessis, confirmatis, & in-
novatis. Quibus omnibus, et singulis, il-
lorum tenores praesentibus pro plene, et
sufficienter expressis, ac de verbo ad ver-
bum insertis habentes, illis alias in suo ro-
bore permanfuris, ad praemissorum effe-
ctum hac vice dumtaxat specialiter, et ex-
presse derogamus, caterisque contrariis
quibuscumque.

Dat. die 21.
Maj 1663;
An. IX.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Die-
cesis sub Annulo Piscatoris, die 21. Maji
1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXXXIX.

Ex Regiff. in
Secret. Breu.

Decrevit ne deinceps in Definitoriis Pro-
vinciarum Fratrum Minorum Ordinis
S. Francisci Recollectorum Regni Gallie
duo fratres germani locum nec vocem
habere possint, et si qui antea habue-
rint omnino excludantur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam .

Supplicatio .

§.1. **C**UM sicut dilectus filius Ephrem
Chasteau Agens, et Procurator
Generalis Fratrum Minorum Ordinis San-
cti Francisci Recollectorum nuncupato-
rum in Regno Galliae degentium Nobis nu-
per exponi fecit, felic. record. Urbanus
Papa VIII. Praedecessor noster per quasdam
suas in simili forma Brevis Literas die 23.
Novembris 1637. expeditas sub censuris
Ecclesiasticis, ac indignationis suae necnon
privationis vocis activae, et passivae poenis
ipso facto per contrafacientes incurrendis
prohibuerit, ne in Definitoriis Provincia-
rum Italiae, et Regnorum Hispaniarum
dicti Ordinis duo interesse possent, qui
fratres germani essent; idque ut factionibus
obviaretur: Et subinde dilectus filius Pe-
trus Roccius Commissarius Generalis Cu-
riae pro familia Ultramontana Ordinis pra-
efati perterit a Congregatione Venerabilium
Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ec-
clesiae Cardinalium negotiis, et consulta-
tionibus Episcoporum, et Regularium pre-
posita quandam difficultatem occasione
dictarum Literarum subortam explicari,
Congregatio vero praefata, attentis narra-
tis, reque, auditis partibus, mature confi-
Bull. Rom. Toim. VI. Par. V.

derata censuerit, et decreverit non licuif-
se, nec licere sub quocumque titulo, pra-
textu, seu colore, duos fratres germanos
in Definitorium ingredi, et si qui tunc in
aliquibus Provinciis ingrederentur, unum
omnino excludi mandaverit, prout in ipsius
Congregationis Decreto die 20. Janua-
rii 1662. desuper emanato uberius dicitur
contineri: Quia vero in praefatis Urbani
Praedecessoris Literis, et Decreto Congre-
gationis huiusmodi, nulla de Provinciis
Galliae dicti Ordinis mentio facta reperitur
et ratio excludendarum factionum, quae
memoratum Urbanum Praedecessorem ad
faciendam prohibitionem supradictam ad-
duxit, similem prohibitionem in eisdem
Provinciis praesertim Recollectorum Gal-
liae fieri non minus postulat, plurimum eu-
piat dictus Ephrem opportune in praemissis
a Nobis provideri: Nos dictarum Provin-
ciarum quieti, & felici directioni salubri-
ter consulere, dictique Ephrem desiderio
favorabiliter annuere volentes, ac illum a
quibusvis excommunicationis, suspensionis
& interdicti, aliisque Ecclesiasticis senti-
tiis, censuris, & poenis a jure, vel ab ho-
mine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodatus existit ad
effectum praesentium dumtaxat consequen-
dum harum serie absolventes, & absolutum
fore censentes, supplicationibus ipsius
Ephrem nomine Nobis super hoc humiliter
porrectis inclinati, de praefatorum Car-
dinalium consilio, attentis narratis, ne
deinceps in Definitoriis Provinciarum Or-
dinis Recollectorum Sancti Francisci Re-
gni Galliae duo fratres germani locum, nec
vocem habere possint, & si qui ante habue-
rint, alteruter omnino excludatur auctori-
tate Apostolica tenore praesentium decer-
nimus, mandamus, ac praecipimus.

Decretum
confirmat.

Clausulae ap-
nit.

§.2. Decernentes pariter easdem pra-
esentes Literas semper firmas, validas, &
efficaces existere, & fore, suosque plena-
rios, & integros effectus sortiri, & obtine-
re, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tem-
pore spectabit, inviolabiliter observari; Sic-
que in praemissis per quoscumque Judices
ordinarios, & delegatos, etiam causarum
Palatii Apostolici Auditores judicari, &
definiri debere, ac irritum, & inane, si
secus super his a quoquam quavis auctori-
tate scienter, vel ignoranter contigerit at-
tentari.

Contrariis
lit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus,
& Ordinationibus Apostolicis, necnon qua-
tenus opus sit praefatorum Ordinis, & Pro-
vinciarum Galliae, etiam juramento, con-
firmatione apostolica, vel quavis firmitate
alia roboratis statutis, & consuetudinibus,
privilegiis quoque, indultis, & Literis Apo-
stolicis in contrarium praemissorum quo-
modolibet concessis, approbatis, & innova-
tis. Quibus omnibus, & singulis, illorum
tenores praesentibus pro plene, & sufficien-
ter expressis, & de verbo ad verbum inser-
tis habentes, illis alias in suo robore per-
manfuris, ad praemissorum effectum, hac
vice dumtaxat specialiter, & expresse de-
rogamus.

R r 2

rogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. §.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diocesis, sub Annulo Piscatoris, die vigesima prima Maii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXL.

Decernit servandam esse in Provincia Majoricen. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. dispositionem Brevis Clementis VIII. super prohibitione erectionis novorum Conventuum pro Provincia Carthaginen. d. Ordinis emanati, & proinde Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantium novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum permanentium erectionem absque Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dicti. Brevis, & Apostolicarum Constitutionum in dicta Provincia Majoricen. prohibet, & interdicat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Roccius Commissarius Generalis Curie Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, nuncupat. pro familia Ultramontana, quod dudum felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, considerans in Provincia Carthaginen. dicti Ordinis tam angusta tantam multitudinem Conventuum Regularium diversorum Ordinum reperiri, ut propter prætesiones novarum fundationum plurima orirentur inconvenientia, ordinavit ne in posterum ædificari posset ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris Literis in simili forma Brevis die 2. Julii 1601. desuper expeditis plenius dicitur contineri.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in Provincia Majoricen. dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. eadem inconvenientia sequantur, attento quod illa intra spatium duodecim leucarum longitudinis, & octo latitudinis continet octo Conventus ejusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, in quibus puritas Regule observatur, necnon sex hospitalia pauperum ex elemosynis viventium, ac decem Monasteria Monialium,

præter viginti Conventus diversorum Ordinum, quorum major pars est Mendicantium: Unde, & seculares valde gravantur, & quamplurimæ ob novarum fundationum prætesiones tam inter seculares, quam inter regulares oriuntur discordiæ, cum maximo regularis disciplinæ detrimento, ac etiam Populorum scandalo: Nobis propterea dictus Petrus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsum Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus exiit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, servandam esse formam, ac dispositionem memoratarum Clementis Prædecessoris Literarum etiam in Provincia Majoricen. Ordinis hujusmodi; atque ita Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantis novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum, & sub quovis titulo habitationum permanentium erectionem absque Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem, dictarum Clementis Prædecessoris Literarum, & Apostolicarum Constitutionum in præfata Provincia prohibemus, & interdicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad

Transumptum fides.

Dat. die 11. Maii 1663. An. IX.

Ex Reg. in Secret. Brev.

Decretum confirmat.

Clausulas addit.

Contraria tollit.

ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Maii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLI.

Decernit, et declarat, quod Fratres universi, et singuli Ordinis Prædicatorum, ubique terrarum, priusquam ad Sacros Ordines ascendant, ætatem ad hujusmodi Ordines suscipiendos explevisse debeant, juxta Concilii Tridentini Decreta.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Creditæ Nobis coelitus dispensationis ratio postulat, ut paternam Christianissimum, qui e fluctibus sæculi in religiosæ vitæ portum confugerunt curam gerentes, illa, quæ felici eorum directioni, & regulari disciplinæ officere noscuntur, de medio tollere studeamus, sicut in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Exordium. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in plerisque dicti Ordinis Provinciis Indiarum non sine notabili regularis disciplinæ, studiorum, & communis quietis, pacisque detrimento Fratres ejusdem Ordinis passim ante legitimam ætatem a Concilio Tridentino præscriptam mittuntur, & admittuntur ad majores Ordines suscipiendos, eo quod præterdant adesse illic privilegium speciale desuper Ordini prædicto, aut alteri Religioni, cum qua Ordo ipse in privilegiis communicat a Sede Apostolica indultum circa prima dictarum Provinciarum, & Conversionum initia, sive quod ibidem Episcopi, & Archiepiscopi ex novissima quadam concessione Apostolica ob penuriam operariorum habeant, aut habere putentur amplam ea in re facultatem.

§.2. Ac insuper in eisdem Provinciis passim irrepsit abusus intollerabilis, quo Fratres Conversi, seu Laici arte, ac solertia Clericalem Religionis habitum, Sacrosque Ordines absque legitima Superiorum dicti Ordinis permissione suscipere non verentur, dum videlicet de una in aliam Provinciam commeantes sese mox Clericos professos fingunt, ac falsificatis dimissorialibus literis se offerunt Episcopis initiandos tametsi in prædicto Ordine Prædicatorum omnis Conversionum transitus ad habitum Clericalem sit legibus quamseverissimis interdictus.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Magister Generalis agnoscat, ac deprehendat fore plurimum e re divini obsequii, cultusque, ac decentiæ, necnon claustralis observantiæ, & arctioris educationis, si validum adversus hu-

jusmodi præmaturos ordinationes remedium admoveatur; & proinde qualicumque hujusmodi privilegio, si quod in illis partibus, vel prædicto ejus Ordini immediate concessum, vel per communicationem ab alio quocumque Ordine participatum habetur, in manibus nostris renunciet, cupiatque opportune a Nobis in præmissis provideri, & ut infra indulgeri.

§.4. Nos ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exiit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dictamque privilegii renunciationem ab eodem Magistro Generali factam, ut præfertur, harum serie admittentes, & acceptantes, quod de cætero non minus in supradictis Provinciis Indiarum, quam in Europa, prædicti Ordinis Prædicatorum regulares universi, ac singuli, priusquam ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines ascendant, ætatem, ad tales Ordines suscipiendos per Decreta Concilii Tridentini prædicti respective requisitam, omnino explevisse debeant, nisi cum aliquibus nominatim, & in casu singulari per literas Apostolicas in simili forma Brevis toties quoties interpretandas, & ordinatori exhibendas super hujusmodi ætatis defectu canonice dispensatum fuerit, quemadmodum fit in Europa: quodque facultates, si quæ jam data sint, sive in posterum dentur illarum Regionum Episcopis, & Archiepiscopis conferendi majores Ordines hujusmodi ante legitimam ætatem, ad Fratres dicti Ordinis Prædicatorum nequaquam extendi censeantur, neque his ibi, aut ulli suffragari possit ad illum præmaturo ordinationis effectum quæcumque communicatio privilegiorum quæcumque Religioni concessorum, aut concedendorum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

§.5. Præterea quibusvis supradictarum Provinciarum in Indiis consistentium Ordinis prædicti Fratribus Laicis, seu Conversis, ne sine legitima Superiorum ejusdem Ordinis permissione e statu Conversionum ad statum, et habitum Fratrum Clericorum dicti Ordinis transire, aut etiam ultra ad sacros ordines sese intrudere audeant quovis modo, vel præsumant sub excommunicationis late sententiæ pœna per Contraventores eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate, et tenore prædictis prohibemus, et interdicimus.

§.6. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcum-

Decretum confirmat.

Decretum irritans.

documque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Provinciarum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatio, ne Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio eam fides.

§.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

Dat. die 29. Martii 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Maji 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLII.

Ex Reg. in Sacris. Brevis.

Confirmatio Capitulorum concordie pro stabilimento pacis, & regularis discipline in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. Ordinis ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & ad componendas lites, ac differentias inter Fratres Hispanos, & Italos Ord. hujusmodi ejusdem Conventus occasione subortas, diuque agitatas cum deputatione Visitatoris.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Excelsiam.

Silvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, licet immeriti, vices gerentes in terris, illa, quæ inter Christianos quoscumque, et præsertim illos, qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt pacis, et amabilis concordie, regularisque discipline restituendæ, et conservandæ studio provide conventa, ei stabili esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis præsidio roboramus, et alias opportune desuper providemus, sicut matura consultatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Hispani, et Itali Conventus Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. Ordinis ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum quod cum a viginti annis, vel circiter super dominio, & fundatione dicti Conventus inter Fratres Provinciae Italiae dicti Ordinis, qui eundem Conventum ex inveterata possessione ab ipso fundationis primordio huc usque continuata sibi, & dictæ Provinciae assererebant, ex una, & Fratres Hispanos quibusdam patentibus Ministri Generalis ejusdem Ordinis literis innixos ex altera partibus variæ controversiæ penderent, eaque occasione gravissimæ lites inter easdem partes, ac scandala, & dissidia exorta essent, Venerabilis Frater noster Martinus Episcopus Albanen. S.R.E. Cardinalis Ginnetus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector his malis, & scandalis remedium adhibendi ergo, dilectis pariter filiis Dominico Tafario in Sacra Theologia Præfatoro, ac Ministro Conventus S. Franciscæ de Urbe, & Procuratori dictæ Provinciae Italiae, necnon Antonio a Trinitate Procuratori Fratrum Provinciarum Hispaniæ dicti Ordinis in Civitate, & Conventu Neapolitan. prædictis de gentium mandavit, ut ipsi lites hujusmodi per amicabilem compositionem terminare, distaque inconvenientia tollere studeant, ex quibus, seu eorum occasione multi processus formati fuerunt, multaque sententiæ excommunicationum, ac suspensionum a divinis, aliarumque poenarum emanatarum, prout ex sententia per dilectum filium Nicolaum Claudium Judicem a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita delegatum lata, constare dicitur, & nonnulli, qui executioni sententiæ hujusmodi contravenerunt, in poenas, & censuras incurrerunt; quinimo propter præmissa factum est, ut præfatus Conventus, ejusque Fratres a viginti annis, & ultra visitati non fuerint; Quapropter iidem Dominicus, & Antonius Procuratores huic mandato prædicti Martii Cardinalis Protectoris prompte obsequentes, post maturam considerationem ad occurrendum tot damnis, litibus, inconvenientibus, & scandalis, imminentiq; totali dicti Conventus destructioni, ad nonnulla Capitula concordie ab utraque partium cum interventu, consensu, & pace omnium firmata inter se devenerunt, tenoris, qui sequitur videlicet: In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Supplicatio.

Motiva.

Tandem post tot, tantaque dissensiones, emulationes, &c. lites, quas fere viginti annis Fratres Itali, et Hispani Conventus Neapolis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, et Redemptionis Captivorum habuerunt, (disponente Deo, cum intercessione Beate, et Immaculate, semperque Virginis Remediatricis Mariæ) finem, terminumque suum assequuta, de expresso præcepto Eius, & Rûni

et Rûni D. Cardinalis Ginetti Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarii, distique Ordinis Protectoris dignissimi, cui super hoc quotidiana insidet, ut è medio tollantur lites, et pax, et concordia inter Regulares sibi subiectos, ut consonum est Justitiæ semper vigeant, totumq; negocium cum unione ambarum partium omnino firmentur, conditiones, & Capitula a Fratribus facienda inviolabiliter observentur, omnimodamque tortiantur executionem; propterea Frater Dominicus Tafari Procurotor Provinciae Italiae, & Minister Conventus de Urbe, & Frater Antonius de Trinitate Procurotor Conventus Neapolis, & Fratrum Hispanorum Ord. Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum debito honore, et reverentia mandatis Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Ginetti prompte obedientes die 22. mensis Novembris præsentis anni 1662. uniti, et congregati, matura consideratione, propriaque conscientia consulentes sequentia Capitula contexere, videnda, et approbanda ab Eminentissimo Cardinale, et in hac Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, et Regularium proponenda, et si placuerit confirmanda semper impostero observanda.

Nonnulla Capitula.

Primo. Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Civitatis Neapolis incorporetur Provinciae Italiae, ejusque Religiosi pareant R. P. D. Provinciali dictæ Provinciae, ejusque Successoribus in perpetuum, et jurisdictionem in eo habeant, sicuti in cæteris Conventibus dictæ Provinciae habent juxta decretum Capituli Generalis celebrati ab omnibus Provincialibus, eorumque Sociis Provincialium Italiae, et Hispaniæ anno 1658.

Secundo. Quod in dicto Conventu commoventur Religiosi Itali ad arbitrium R. P. Provincialis Italiae, et præcipue filii ejusdem Conventus, qui privilegium filiationis habeant juxta formam Constitutionum Ordinis. Verum crescente numero Fratrum, si bona Monasterii non sufficiant ad eorum sustentationem Fratres Hispani venientes cum legitima licentia ullo prætextu inopia non possint non admitti in dicto Conventu, & Fratres Hispani in presenti in dicto Conventu existentes, & in futurum extituri, isto, nec alio prætextu non possint expelli, nec filii dicti Conventus; licentia vero legitima ea intelligatur, scilicet Remi Patris Generalis, quo deficiente sufficiat locum ejus tenentis, uti præcipiunt Constitutiones noviter editæ Cap. 35. de potestate, & Officio Ministri Generalis §. 12. fol. 205., qui cum hujusmodi licentia venerint debeant acceptari, & recipi in dicto Conventu, & Provincia absque ulla alia licentia Provincialis Italiae, neque Definitorii, qui autem cum licentia sui Provincialis Hispaniæ tantummodo venerint in Conventu, ut hospes permaneat; Verum non intelligatur Conventualis quousq; obtineat licentiam Provincialis Italiae, & acceptionem Definitorii Italiae.

Tertio. Quod Religiosi Hispani nunc in dicto Conventu existentes, alique Fratres ex Hispania venientes cum legitima licentia, ut supra, reputentur, ut filii tam prædicti Conventus, quam Provinciae Italiae, excipiuntur Fratres Itali, & Hispani venientes sine licentia legitima, cum quibus agatur, sicuti præcipiunt Constitutiones, & Sanctiones Pontificiæ, & Sacra Congregationis Concilii, & Constitutiones Ordinis, & Minister quantocius nec ultra menssem, ullo modo eis permittat ibi commorari. Quod si Minister pro tempore, super hoc negligens fuerit, ultra poenas in dictis Constitutionibus inflictas, in poenam privationis Officii, & vocis activæ, & passivæ per sexennium incidat.

Quarto. Si contingat quod a Sancta Sede dicto Conventui Novitiatus pro Novitiis recipiendis, & profitendis concedatur Minister quisquis ille sit Italus, aut Hispanus cum suis Fratribus debeat tot Neapolitanos ad habitum recipere, & ad professionem admittere, quot Hispanos; quod si secus factum fuerit, Minister in poenam privationis Officii, & cujuscumque dignitatis, & vocis activæ, & passivæ in perpetuum incidat.

Quinto. Quod Minister dicti Conventus fiat in Definitorio Capituli Provincialis Provinciae Italiae alternative, videlicet una vice Italus, alia vero Hispanus.

Sexto. Quod Provincialis eligat Vicarium Provinciale pro dicto Conventu, cui absente Provinciale tanquam ipsi obediant cum solita, & debita subordinatione ad dictum Patrem Provinciale.

Septimo. Quod quando Minister sit Italus, Vicarius Provincialis sit Hispanus, & quando Minister sit Hispanus, Vicarius Provincialis sit Italus, cum hoc tamen expresso ordine, & præcepto, quod in alternativa, quando ad Italos pertinet electio, seu vox passiva tam Vicarii Provincialis, quam Ministri (quæ electiones, ut dictum est a Definitorio, & R. P. Provinciale faciendæ sunt) Fratres Neapolitani, qui habent conditiones, & requisita pro dictis Officiis, & dignitatibus obtinendis, tam Ministerii, quam Vicariatus Provincialis, uti Constitutiones Ordinis noviter, ut supra præcipiunt, debeant, & teneantur tam Definitorium, quam R. P. Provincialis ipsos Fratres Neapolitanos eligere pro dictis Officiis, & Dignitatibus, quod si secus factum fuerit tanquam non Ministri, & non Vicarii Provincialis habeantur, & ipso facto electiones hujusmodi sint irritæ, & invalidæ, nulliusque roboris, & valoris; quod si Fratres Neapolitani, ut supra dictum est conditiones non habebunt, & in dicto Conventu, & Provincia non extiterint, tam Definitorium, quam R. P. Provincialis ad eorum arbitrium, & solita libertate de Fratribus Italici provideat pro dictis Officiis.

Octavo. Quod dicti Patres Hispani nunc in dicto Conventu existentes, vel pro tempore venientes cum legitima licentia, possint in dicta Provincia Italiae omnia obiti